

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

benevolentiam, cum primum habebō nuncium mihi notum. Mito de toga & pallio, quæ subito scripti: nam nuncius properabat. Illud miror, uos suspiciose interpretari, quod non ueni: diligi à me homines Marchicos, multa signa sunt. Habeo filias Marchicas uirtute & forma diuinitus ornatas, quæ mihi certè sunt charissimæ. Multis officijs coniunctus sum cum multis præstantibus uiris in Marchia. Et si quid tribuitis meis scriptis: hæc etiam ostendunt reuerentiã erga illustrißimos Principes Marchiones, ortos à nobilissima Guelforũ stirpe: propterea suspiciones istas cum dolore legi. Et ego homo apertus, non delector hoc genere interpretationũ, cum S. Paulus dicat: Dilectio non sit suspicax. Bene ualete.

Magna pars Constantinopolis terræ motu dissesta est, et multi homines oppressi sunt ruinis. Deus protegat et gubernet nos. Datæ 4. Iulij, anno 1556.

Eidem.

Reuerende uir, & amice charissime: Prorsus nõ aliud respõdeo ad tam atrocem criminationem, de qua audiui etiam antè quam legi uestras literas, nisi hoc quod Demosthenes dicit: Si uos ipsi, quibus mea uita nota est, talem me esse existimatis, qualem me esse calumniator describit, nulla prorsus defensione utar. Sed profectò unde sit tanta acerbi-

tas odij, ne quidem suspicari possum, cum medio-
 cria fuerint mea erga ipsum officia: & in hac ipsa
 deliberatione modestissime indicauerim, me opta-
 re, ut Ecclesie harum regionum non turbentur. Mul-
 tas etiam disputationes condonavi publicae paci. Sed
 nunc non disputo: tantum ad iudicia piorum & cri-
 ditorum apud uos & alibi prouoco. Video princi-
 pes uelle certum statum constituere, nec impedio:
 qui si putant me tollendum, aut interficiendum es-
 se, ut scio de me tollendo fuisse sermones: fera, Deo
 iuuante, quicquid accidet. Sed mihi non deesset con-
 silium refutandi criminationem, si non parcerem
 Reipublicae. Nihil seditiose, nihil immoderate fa-
 ciam. Sed donec uiuam, modeste dicam necessaria:
 & res ostendit, multas a me controuersias non par-
 uo labore, nec sine periculo explicatas esse. Et hunc
 ipsum librum Augustanum legens, aliquoties agno-
 sco in meis uulneribus meas pennas, ut in antiquo
 prouerbio dictum est. Si uiuam, scribam ad uos plu-
 ra, & sepius, ubicumque ero. Nam has contumelias
 non perpetuo dissimulabo. Remitto uobis exemplum
 libri Augustani, quod ad me misistis: quia ipsi exem-
 pla multa habemus. Habemus & alium librum, cui
 titulus est Reformatio, qui uelut interpres est libri
 prioris. Totam hanc causam, Ecclesiam, & nos om-
 nines Deo commendo: quia scio salutaria ab homi-
 nibus effici non posse, nisi datum sit a Deo: quem
 quidem

quidem oro, ut uos regat. Pro poculo, quod miseris orphanis meis misistis, ago gratias. Salutem opto uiris integerrimis, qui meo dolore adficiuntur. Bene ualete.

Formulam recitandam ante Canonem, nō legi; nec habeo exemplum. Ideo iudicare non potui. 1548.

Schedula tabulę collegij adfixa, ubi causam indicat, cur legere non possit.

Optima quęq; dies miseris mortalibus eui
Prima fugit, subeunt morbi, tristis q; senectus:
inquit Poeta. Me quoq; senem, & confectū uarijs doloribus, ledit iam facile uocis contentio in hac assiduitate: meq; heri grauius læsum sensi. Quare hodie hora nona nō prælegam, sed cras (Deo dante) prælecturus sum. Die Iouis, post festum Catharine, anno 43.

Reuerēdis. D. D. Ioanni Hornburg, Episcopo Libusianę ecclesię, excellenti sapientia & uirtute, &c. patrono suo colendo,

S. D. Reuerēdisime domine. Quinquā propter publicas discordias multorū animi alieniores sunt a doctrinarum studijs, tamen scio R. D. T. pro sua excellenti sapientia uelle non deleri literas, qua

rum